

OMNIS Proportio est, aut æqualitatis, aut maior inæqualis, aut minor.

Secunda animi communis sententia.

Quilibet numerus tantus dicitur, quanta est illius proportio ad monadem.


Dicimus enim quatuor, quod monadem quater contineat. Et duo cum dimidio cum monadem bis & semis contineat.

Tertia animi communis sententia.

Proportionem defectus, seu detractæ quantitatis ad defectum esse posse, ut quantitatis ad quantitatem dicuntur communes animi sententiæ, quæ ex intellectu solo terminorum, quod ueræ sint, cognoscuntur. Si ergo defectus est quantitas, & quantitas eiusdem speciei, quia detrahitur, & defectus non est simpliciter, sed detracto ergo per quartam petitionem: uel primam diffinitionem erit proportio inter illas. Sunt enim ambæ detractæ.

Quarta animi communis sententia.

Inter quantitatem, & defectum minorem quantitate, cuius est defectus, est proportio, quatenus est quantitas. Sit a b linea, & detracta quantitas b c, non maior a b & d sit alia quæuis quantitas eiusdem generis, dico quod inter d & b c est proportio quatenus b c est quantitas, quia sunt eiusdem generis ideo sunt in aliqua proportione per primam diffinitionem. Sed ut b c est defectus, nulla est proportio: quia quanto b c augetur, tanto augetur proportio d ad b c, & hoc est contra demonstrata ab Euclide.



Quinta animi communis sententia.

Cum proportio producitur ex proportionibus quælibet illarum dicitur producta diuisa per alteram.

Sexta animi communis sententia.

Æqualium quantitatum seu proportionum ad tertiam comparabilium eadem est proportio atque uicissim. Hæc etsi demonstratur ab Euclide, est tamen hic generalior: & satis per se nota. Ut sit propior animi communi sententiæ, quàm rei demonstrandæ.

Septima animi communis sententia.

Ad quod quantitas proportionem habet infinitam, id in genere illius quantitatis non comprehenditur.

Nam proportio est duarum quantitatum eiusdem generis comparatio certa: at hæc comparatio certa non est: non igitur quantitates ambæ sunt, aut non eiusdem generis.